

Die preterea XXI Junii circa horam vesperorum habuimus pro certo per personam fidedignam quod Athenis armatum est unum lignum a XLVIII remis quod deferre debet duos ambaxatores ipsius domini Alfonsi de melioribus quos habet ad Imperatorem, et debet separare se da Athenis hac presenti nocte. Habuimus etiam per ipsam fidedignam personam quod armatur Athenis etiam unum aliud lignum quod deferre debet duos Ambaxatores ipsius domini Alfonsi de melioribus quos habet, cum duobus Ambaxatoribus Turchorum in Turchiam; qui vadunt pro accipiendo Turcos in bona quantitate a mille usque ad mille et quingentos pro conducendis ipsis non certificat ubi.

Quod sequetur post hec magnificentie vestre curabimus declarere. Datum XXVI Junii. [Commem. II c.^o 31]

281.

1322, Maggio 12.

Querela di Pietro Quatrelingue Marsiliese depredato da Veneziani nelle acque dell'Armenia.

Millesimo trecentesimo vigesimo secundo indictione quinta die duodecima intrante mense Maii. Presentibus nobilibus et sapientibus viris dominis *Johanne de Lege, Frederico Cornario, Marco Gisi* de Crete, *Marco Cornario* filio domini Andree Cornario de Crete, *Nicolao Grimani* Sancti Juliani, *Nicolao* dicto *Pistorino* vicecancellario, *Johannes de Marchis, Benencha de Gezis* ducatus Venetiarum notariis et aliis pluribus in ducali palacio in camera ubi dominus dux infrascriptus sedere consuevit cum suo consilio.

Ad requisitionem et petitionem factam et in iscriptis datam pro parte Petri Quatrolenguis civis et olim habitatoris Massilie, et nunc ut asserit habitatoris et mercatoris Sancti Antonini, subditi et iusticiabilis domini Regis Francie et domini Regis Maioricarum, ibidem presentis requirentis et cum instantia postulantis ex parte dictorum duorum regum et seneschalchi Belcharii et Nemausi et baiuli curie Montis Pelusani, ab illustre domino Johanne Supe-